

fol. 115<sup>v</sup>

Johann von Friedberg

[1434 Juni]

**s) Rectoratus tercius magistri Iohannis Platen sacre theologie professoris**

Anno domini 1434<sup>o</sup> in vigilia Iohannis baptiste omnibus magistris universi-  
5 tatis studii Heydelbergensis per iuramentum convocatis ad capellam beate  
virginis pro eleccione novi rectoris concorditer electus fuit magister Iohan-  
nes Plate de Frideberg sacre theologie professor, in cuius rectoratu acta  
sunt infrascripta.

Nota in eadem congregacione pro domo pauperum, quam pro tunc in-  
10 habitabat magister Iohannes Ryesen sacrorum canonum professor, electi  
erant concorditer magister Wilhelmus de Lyra in theologia licenciatus et  
magister Henricus Lympurg in theologia baccalarius, qui una cum ple-  
bano nostro deberent respicere domum predictam, censum sublevare et  
15 necessaria in illa construere, et pridem conclusum erat per universitatem,  
quod ad minus prefatus dominus doctor Ryesen de domo illa solveret xii  
vel xiiii florenos omni anno.

2<sup>o</sup> conclusum erat, quod de cetero omnes frivole appellantes a sententia  
rectoris et sibi assidencium ad universitatem, si tales postmodum iterum  
20 in universitate succumberent, quilibet ipsorum universitati solveret duos  
florenos irremissibiliter.

[116r] **t) Rector universitatis studii Heydelbergensis**

Mandat omnibus et singulis doctoribus, magistris, nobilibus, licentiatis,  
baccalariis nec non cunctis bursarum rectoribus, quatenus nullus ipsorum  
25 legere ac exercere coram non intitulatis sive exclusis sub pena unius floreni  
atemptet. Demum omnibus vobis supradictis ac singulis nostre universi-  
tatis suppositis ad precavendum suspiciones sinistras nec non futura pe-  
ricula, que sub specie studencium possent committi, districte precipientes  
mandamus, quatenus nullus vestrum vineas aut ortos pro fructibus eciam  
quibuscumque auferendis sive herbis ingredi, muros opidi transcendere, in  
30 vicis cum<sup>u)</sup> armis incedere aut insolencias vel molestaciones civium facere  
presumat sub penis desuper statutis et adiciendis per nostram universita-  
tem irremissibiliter exigendis. Datum anno domini millesimo cccc<sup>o</sup> xxxiiii<sup>o</sup>  
xxiiii<sup>a</sup> die mensis iunii nostri rectoratus sub sigillo.

s) *Handw. A* t) *Handw. A* u) *fehlt A*

316